



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

21. Plura dubia in materia Symoniæ observantur, & multi & diversi casus
in corpore huius resolutionis proponuntur pro praxi? Ex part. 11. tract. 6. &
Miscel. 6. res. 31.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

vel quid simile filio, vel filiae, ut moveat illos ad bene operandum, v.g. ad audiendam Missam, vel confitendam peccata, & ideo potest fieri sine simonia promissio de dando aliquid infideli, ut convertatur ad fidem, vel fidelis ingrediatur Religionem semper enim dicendum est fieri sine simonia, si non detur per modum pretij rei spiritualis, sed solum ad movendum hominem ad bene operandum. In praesenti dubio non offert Titius pecuniam Caio, sed promittit se facturum actum honestum, & gratum Caio, ut moveat illum ad impetrandum beneficium, sicut si filius promitteret patri se facturum aliqua opera virtutum gratia patri, ut pater illa filio conferret, non ut pretium rei spiritualis, sed motus ex gratitudine, in quo non esset simonia, sicut neque e contrario est simonia, quando pater offert filio aliquid pretio aestimabile, ut moveat illum ad opera virtutum faciendam; & eodem modo collator beneficij possit illud beneficium promittere alicui, ut moveret illum ad faciendam elemosynam, non ut pretium beneficij, sed ut actum honestum, & Deo gratum. Et idem iudicium est si offerretur elemosina alicui loco pio, ut aliquis moveretur ad impetrandum, vel conferendum habitum Religionis militaris, & tandem advertendum est, quod licet pro Curia Romana sit bulla in qua prohibetur dari aliquid pretio aestimabile pro impetratione beneficij Ecclesiastici, tamen per illam Bullam non prohibetur casus praesentis dubij, quia hic revera non datur aliquid pro intercessione, sed, ut diximus, offertur pecunia ad actum honestum, ut alius moveatur ad impetrandum, vel offerendum beneficium, & haec omnia ad verbum asserit Turtianus *oco citato*.

RESOL. XXI.

Plura dubia in materia simonia observantur; & multi, & diversi casus in corpore hujus Resolutionis proponuntur pro praxi. Ex p. 1. tract. 6. & Misc. 6. Ref. 31.

QUæro primo, an sit simonia si aliquis promittat alicui magnam pecuniarum summam, quam erogat pro elemosina alicujus monasterij, si ei impetret beneficium. Negative respondet Ioannes de Soria in *Epitome summarum*, p. 2. tit. 1. sect. 4. disp. 5. docet enim non esse simoniam si quis promittat alteri se daturum elemosynam loco pio, si ipsius opere beneficium impetret, & ideo inter alios titulos excusantes à labe simoniae apponitur elemosina; unde Ioseph Rocafull. agens de modis, quibus pecunia dari potest & accipi in beneficiis absque simonia, ita asserit, in *Praxi Theolog. mor. tom. 2. lib. 3. de septimo precept. Decalogi*, sect. 4. cap. 2. num. 1087. Primo ratione consuetudinis; quando enim consuetudo recepta est, ut dato, vel accepto spirituali, detur, vel accipiat aliquid temporale, non est simonia illud dare, vel accipere, quia probabiliter censetur huiusmodi usum esse bene introductum. Vide Azorium *lib. 12. c. 12*. Secundò in sustentationem vitae: Teriò in stipendium laboris extrinseci conjuncti cum re spirituali: Quarta tanquam gratis oblatum: Quintò, ut elemosina: Sextò in poenam; sic imponi solet multa pecuniaria, cum quis absolvitur à censura: Septimo tanquam id, in quo aliud permittatur, ut cum votum, vel iuramentum pecunia redimitur: Octavo, quando pecunia, vel paciscimur, vel largimur non directè ad rem spirituale obtinendam, sed quasi per accidens ad removendam impedimentum, quæ per vexationem, & litem occurrere solent. Ita Rocafull. Sed circa titulum gratitudinis.

2. Quæro secundo, an si quis gratis promittat ali-

quid pro beneficio obtinendo possit de hoc pacisci? & si placet
Suppono quod latè probat ex commun. DD. sententia
heu quondam noster doctus, & amissimus Quintana
ducia tract. 6. singul. 15. num. 7. titulum gratitudinis
à simonia exculare, idè qui tradit aliquid temporale, intendens ut sibi aliquid spirituale conferatur titulo gratitudinis, simoniam non committit, cum liceat ab alio petere quod ex naturali obligatione præstare tenetur. Et ideo Sanctiorius de panis
part. 2. cap. 15. sic ait. Non est simonia dare aliquid temporale, vel ante vel post, ei, qui exhibet aliquid spirituale etiam cum intentione, quod donatarius moveatur ad dandum spirituale ex gratitudine, & e contra, dare spirituale cum intentione, quod recipiens ex virtute gratitudinis donet postea temporale. Et ratio est, quia donum opponitur pretio, & elicitur ex capssicent Episcopum 1. quæst. 2. cap. Et si quæstiones cap. Dilectus 2. sine cap. Tuas de simonia docet Sotus lib. 9. de just. 97. art. 3. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 85. num. 4. contra Innocentium in cap. Tuam, de arat. & qualis. Duo tamen hic adnotaverim, alterum qui hoc faceret in foro exteriori, præsumereur simoniacus, alterum quod difficile esset in his formalitatibus sub præcisa doni ratione consistere; impossibile tamen non est. Ita Sanctiorius. Vnde ex his asserit Pasqualigus in 99. Canon. Centur. 4. quæst. 378. num. 6. esse verè eandem rationem de simonia, ac usura: unde sicut usura excluditur reducendo contractum ad aliquem justum titulum percipiendi lucrum, ita etiam excludatur simonia reducendo exhibitionem pecunie ad aliquem honestum titulum, pro quo exhiberi possit, & qui sit sufficiens, ut intentio dantis removeatur à spirituali, ita ut faciat, quod pecunia non exhibetur pro spirituali, aut ipsi amexo. Quando enim intentio dantis non respicit ad spirituale, non venit in contractum spirituale, atque adè non committitur simonia. Et ex his poterunt in facti contingentia resolui plures casus. Et 9379. n. 5. subdit Pasqualigus, quod si quis dedisset pecuniam in ordine ad obtinendum aliquid spirituale absque eo tamen, quod habuisset effectum, & intentionem illam tradendi pro spirituali, non esset in foro conscientie damnatus de simonia, si posset considerari aliquid quod fuerit compensatum per illam pecuniam. Cum enim desit intentio dandi pro spirituali, cessat radix unde provenit simonia, nempe stitiosa voluntas emendi pretio rem spirituale quæ est essentialis simoniae; proinde deficit etiam ipsa simonia, aut saltem reditur incerta: præsertim, quia actus non operatur ultra intentionem agentis: leg. non omnis ff. Si cert. per. & leg. In agris ff. de acquir. domin. Vnde cum defuerit intentio respiciens ad dandum pretium pro spirituali, non debet censeri datum pro ipso; & proinde est excludenda simonia. Itaque in hoc simoniae formalitas consistit, ut temporale detur tanquam pretium, & accipiat tanquam pretium, secus augm. ob liberalitatem, gratitudinem, amicitiam, laboris mercedem, &c.

3. His igitur suppositis, difficultas est, an quibus titulis liceat aliquid dare, vel recipere, liceat pacisci in omni re spirituali? Et affirmativè respondet Ioannes de Soria ubi supra fol. 457. ubi sic ait: Non est simonia si quis det Paulo pretium: ut intercedat apud Petrum, ut ipse Petrus intercedat apud Ioannem collatorem beneficij; quod probabile esse docent Valquez, & Sanch. Idem si aliquid detur pro labore suscepto eundo, & redeundo ad beneficij collationem, vel in compensationem alicujus damni, quod inde patitur, aut alicujus luctu, quod amittit. Imò probabile est eo modo quo licet temporale accipere pro spirituali sine simonia licere etiam de hoc ipso pacisci. Ita ille, cui adde Mercam Vidal in *Arca Theol. mor. titul. de simonia*, Inquisit. 2. num. 45.

Sup. hoc in ref. & in aliis velf. ejus no. 1.

Sup. his inf. in ref. 24. § ult. & in aliis ejus an. not.

Alibi in Resolutionibus
positis supra
in not. §.
Quæro secundo, huius

* Alibi ibidem.

num. 45. ita asserentem: Colligitur quintò, eo modo quo licet sine labe simonia dare temporale pro spirituali etiam licet de hoc ipso conventionem facere; nempe tanquam dandò, vel ex gratitudine, vel ex benevolentia, vel ex iustitia non quidem pro re spirituali, ut spiritualis est, neque tanquam pretium, sed ob aliquam aliam rationem licitam, & à jure concessam. Hæc Vidæ, & plures alij à me alibi adducti. Et quidem qui potest intendere finem; potest media adhibere, ut sibi conferatur beneficium ob gratitudinem alicujus obsequij temporalis: ergo potest id ipsum in pactum deducere tanquam medium ad suam intentionem obtinendam. Adde quod in tali casu pactum, & conventio non cadit supra spiritualia aut aliquid ipsis annexum, sed super aliquid consequens ad collationem spirituum, quod contingenter se habet, ita ut possit consequi, & non consequi. Sola autem spiritualia; & ipsis annexa prohibentur deduci in pactum, quia sola prohibentur subijci venditioni. Sed his non obstantibus ego * alibi hanc doctrinam pro praxi non approbavi; & novissimè me citato, non approbat Rocafull, ubi supra, num. 1082. & ego iterum idem sentio.

4. Quæro tertio, an sit simonia si quis det pecuniam Titio, ut ipse merita apud collatorem beneficii exponat. Affirmativè respondet Carthagina in disp. an liceat dare munera intercessori pro beneficio, cap. 6. difficul. 1. Sed negativam sententiam docet novissimè Pasqualigus ubi supra, §. 380. num. 3. tenet enim quod nulla interveniat simonia, si quis det pecuniam alicui ut propria sua merita notificet collatori, ut inde moveatur ad ipsum ei conferendum, juxta doctrinam quam tradunt Adrianus quodlib. 9. Angelus verb. simonia, num. 25. Sylvest. q. 6. Azorius 3. p. lib. 12. cap. 5. §. 9. 4. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. de simonia, c. 53. num. 17. Filiucius, tract. 55. cap. 12. questio 7. num. 12. in fine. Bonacina disp. 1. de simonia q. 1. §. 2. n. 16. Ratio autem est, quia ad inducendam simoniam requiritur quod detur temporale pro spirituali, aut e contra; in hoc autem casu non datur temporale pro spirituali, quia datur temporale pro illo munere exponendi merita; & finis proximus est acquisitio bonæ opinionis apud collatorem beneficii, non autem ipsum beneficium. Insuper ut interveniat simonia necesse est, quod quando datur pecunia, finis immediatus sit acquisitio alicujus spiritualis mediante illa pecunia, non autem sufficit, quod sit quid consequens ex alio immediato fine, juxta doctrinam quam tradunt D. Thomas 2. 2. quest. 100. art. 4. ad 3. Navarr. in Manuali, cap. 23. num. 101. Suarez tom. 1. de Relig. cap. 36. num. 7. Garzias de benefic. p. 1. cap. 3. num. 170. Mollesius part. 1. Sum. tract. 6. c. 15. num. 56. ubi alios citat. In præsentem autem casu quod intenditur mediante pecunia, non est beneficium, sed expositio meritorum ad bonam opinionem acquirendam, & acquisitio beneficii solum respicitur ut quid consequens. Dicendum est itaque ex Suarez, & Adriano, mediatorum assumptam curam præcisè informandi Prælatus de meritis talis personæ, posse pro hoc munere pretium recipere; quia in hac parte solum gerit officium Advocati representando merita personæ; pro quo officio dicemus posse pretium recipi: est tamen hoc periculosum, quia sæpè mediator excedit officium informantis, & assumit officium exhortantis, & inducentis plus quam merita personæ simpliciter representata possent inclinare. Et ita docet Castrus Palaus 10. 2. tr. 13. diff. 3. punct. 11. num. 5.

5. Quæro quartò, an justa vexatio possit redimi pecunia ab eo, qui non habet obligationem opponendi? & affirmativè respondet Pasqualigus decis. 237. qui conatur aliquibus argumentis hanc suam sententiam stabilire: Sed ego adhæreo sententiæ negativæ,

quam nominatim contra Pasqualigum firmiter nevisimè doctus, & amicissimus Pater Tancredi de Religione, tr. 2. lib. 4. disp. 34. §. 4. n. 33. cum iusta est vexatio, & communis sententia indistinctè loquatur, non potest pecunia redimi justam vexationem teste ipsomet Pasqualigo decis. 236. quod debet dici factum fuisse ex inconsideratione Doctorum, ut innuit Pasqualigus n. 2. d. 236. sed quia voluerunt dare regulam universalem, ex sacris Canonibus deductam; quia media pecunia pararetur via ad beneficium; nam cum ea detur, non ad tollendam vexationem, cum ea non sit, ut diximus; nec ad tollendum malum animi opponentis & ad faciendum hoc opus bonum, nam supponimus ipsum moveri sancto zelo, & manifestationem esse bonam, & opus virtutis, remanet ut tantum detur ad facilitandam viam ad beneficium media pecunia quod nullo modo licitum est per Sacros Canones. Verum stando in hac sententia, contra Pasqualigum dicam simoniam esse de jure humano videtur docere Tancredi loco citato atque idè non inducere statim ut supra firmatum est, penas contra simoniacos à sacris Canonibus latas, quod est valde notandum.

6. Et tandem notandum est hic obiter, quod Pater Pasqualigus querit an pro cessione juris spiritualis, possit dari pecunia ad redimendam illam vexationem, si nolit cedere? Et affirmativè respondet in decis. 241. Item querit, an si electus vexetur per viam juris circa possessionem jam habitam possit pretio redimere vexationem? Et affirmativè respondet ubi supra, num. 2. Item querit an dare pecuniam alicui, ne mihi in electione exceptionem opponat, quam jure potest opponere, vel concurrenti, ut à concursu desistat, sit simonia? & ad utramque partem negativè respondet in Decis. 245. & 248. Item querit, an sit simonia pacificum aliquo ne concurret in hac electione, & tu non concurret cum illo in subsequente? Et negativè respondet in decis. 249. Item querit, an quando jus ad possessionem est dubium, liceat pretio redimere vexationem contra possessionem illam? & circa præsentem questionem quandam distinctionem adhibet. Item querit, an si quis det alicui pecuniam ut meum competitori incutiat ad hoc ut desistat à concursu circa electionem ad beneficium, sit simonia? Et negativè respondet in decis. 250. Sed ego supradictis opinionibus P. Pasqualigi non audeo, nec possum adhærere, cum sint opinioniones singulares, & ferè omnes contra communem sententiam Doctorum, ut ipsomet fatetur: Unde merito contra dictas opinioniones insurgit novissimè Pater Tancredi de Religione, tract. 2. lib. 4. disp. 34. §. 38. usque ad n. 60. qui respondet ad argumenta Pasqualigi. Et hæc remissivè dicta sufficiant circa supra dictas ejus opinioniones.

RESOL. XXII.

An sit simonia dare pretium cuidam tertio ut intercedat apud alterum, & ipse intercedat apud collatorem beneficii, ut beneficium illi conferat? Et quid, si daretur aliquid famulo Archiepiscopi Granatensis, ut precibus ab ipso Archiepiscopo obtineret, ut me presenaret Regi ad beneficium illius Regni? Et quamvis in textu hujus Resolutionis advertatur aliquis casus circa simoniam, pro coronide est palciorum dubium in §. Et tandem. Et ultimo queritur, an servare Episcopo intendendo, ut conferret beneficium, non tanquam pretium servitij, sed ex gratia, & benevolentia causata ex servitio, sit simonia? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Rel. 151.

§. 1. Ad